

## CAPUT IX.

## DE VARIIS CAPITULI ECCLESIAE CATHEDRALIS OFFICIIS.

§ 1. *De canonico theologali.*

I. Alexander III in Concilio Lateranensi III, cap. 18 beneficium institui voluit in qualibet ecclesia cathedrali ad pauperes clericos in sacris litteris et disciplinis erudiendos. Innocentius vero III in Concilio Lateranensi IV decretum Alexandri confirmavit, et insuper jussit, ut in quavis ecclesia Metropolitana theologus constitueretur, ad edocendam Scripturam Sacram et cætera quæ ad animarum curam pertinerent. Sacrosancta tandem Synodus Tridentina sess. V, cap. I de reformat. « piis summorum pontificum et pro- batorum conciliorum constitutionibus inhaerens, easque amplectens, et illis adjiciens, ne cœlestis ille sacrorum librorum the- saurus quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendum pro lectoribus sacrae theologiæ deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates, et alii locorum ordinarii eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendum hujusmodi obtinent, ad ipsius sacrae Scripturæ expo- sitionem et interpretationem, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab ipsis episcopis, archiepis- copis, primatibus, et aliis locorum ordinariis eligendum. etiam per subtractionem fructuum, cogant et compellant. De cætero vero, præbenda, præstimonium, aut stipendum hujusmodi non nisi personis idoneis, et quæ per se ipsas id munus explicare possint, conferantur: et aliter facta provisio nulla sit et invalida. In ecclesiis autem metropolitanis, vel cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diecesis, si ibi clerus numerous fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipen- dium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligatur: et quatenus in ipsis

» ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, metropolitanus, » vel episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitum supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ civitatis, et diecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita pro- videat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, ut quæcumque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur. » Hæc omnia post Concilium Tridentinum confirmarunt Benedictus XIII in Constitutione anni 1725 *Pastoralis officii*, quæ tamen ad Italiam et insulas adjacentes tantum dirigitur, et Gregorius XVI in litteris Encyclicis editis anno 1842, *Inter præcipias machi- nations*.

Præterea sicut refert Pyrrhus Corradus *Praxis benefic*, lib. II, cap. V, n. 21, quotiescumque providetur ecclesiæ Episcopali de novo Pastore, si in illius statu non narretur, ecclesiam pœnitentiarium et theologum habere; semper in litteris promotionis imponitur proviso onus ergendi pœnitentiale et theologalem præbendam.

II. Ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendum deputatum reperitur, in hoc casu præscribit Concilium Tridentinum, præbendam primo vacaturam ad eum usum ipso facto constitui, et deputatam intelligi, nisi vacet per resignationem, aut aliud onus habeat annexum cum theologali incompatibile (1). Ubi nullæ sunt præbendæ, et fructus in distributionibus consistunt, assignari possunt ipsæ distributiones, quæ loco præbendæ succedunt (2). In Italia insulisque adjacentibus hæc ipsa præbenda primo vacatura juxta Constitutionem Benedicti XIII, 1725 *Pastoralis officii*, ipso jure et absque ulla alia declaratione, constituta est præbenda theologalis. Ut autem alibi præbenda primo vacans in theogalem deputata intelligatur, requiritur, ut Episcopus ipse primo vacantem præbendam huic muneri actualiter deputaverit, et annexuerit, theologalemque declaraverit. Aliter ejusmodi præbenda manet libera, eamque possidens cogi non potest, ad munus theologi obeundum, sicut canonistæ communiter docent, et ipsa S. C. Congregatio declaravit (3). Cum autem aliqua præ-

(1) Pallettini, *Canonisticatus*, § VIII, n. 51 et seqq.

(2) Idem ibidem n. 101.

(3) Vid. Faguanus in 1 p. lib. V. *Decretal. de Magistris* cap. *Quia nonnullis*, n. 37; Pyrrhus Corradus, *Praxis benef.* lib. 2, cap. V, n. 6.

benda theologalis semel erecta et deputata fuerit, hæc ita conjungitur et annexitur theologi officio, ut ab alio, quam a theologo, possideri non possit.

Hæc erectio et deputatio obligatoria permanet in praesenti statu ecclesiarum Galliae, Belgii et aliarum, ad quas spectat concordatum 1801. In decreto cardinalis a Latere, quo sedes Episcopales eriguntur, prescribitur, ut primus Episcopus - potissimum duos " ex canonicatibus constitutus, quibus juxta Tridentini Concilii leges, adnexum sit theologi ac pœnitentiarii munus, a canonice, " qui ad eos promoti fuerint, secundum canonicas sanctiones " fideliter adimplendum. Ita præscriptum fuit in decreto cardinalis a Latere, quo sedes Archiepiscopalis Mechliniensis erecta fuit 10 aprilis 1802, et procul dubio in erectione aliorum Episcopatum per totum territorium reipublicæ Gallicanæ. Licet enim canonici certam a gubernio pensionem in pecunia numerata loco præbendæ recipiant, et ita præbenda theologalis stricte dicta canonice institui nequeat; canonicus tamen constitui potest, sicut cardinalis a Latere prescribit, cui juxta Concilii Tridentini leges annexum sit theologi munus.

Episcopus igitur, qui præbendam seu canoniciatum primo vacantem in theologalem non erexit, debitæ suæ obligationi defuit. Cæterum non prohibetur alium secundo vel tertio vacantem in theologalem ergere (1).

III. Electio personæ ad præbendam seu canoniciatum juxta Concilium Tridentinum pertinet ad solum Episcopum, collatio vero ad illos, ad quos alias spectat. Si vero collatio Sanctæ Sedi reservata sit, electio personæ et collatio spectat ad Papam (2).

Ista electio et collatio de jure communi fieri non debent per concursum, cum hæc forma nulla lege generali prescribatur, Concilium Tridentinum ejus mentionem non faciat. et personæ electionem arbitrio Episcopi relinquat. Secus autem dicendum est de Hispania juxta concordatum SS. D. Pii IX cum Hispaniarum gubernio; atque de Italia et insulis adjacentibus ex Constitutione Benedicti XIII, 1725 *Pastoralis officii*, per quam concursus requiri-

(1) S. C. C. 8 Mart. 1745 in *Sorona*, § 12, apud Luc. Ferr. *Canonicatus* art. IX, n. 115.

(2) Pallottini, *Canonicatus*, § VIII, n. 142 et seqq.; Barbosa de Canonicis cap. 27, n. 12; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. IX, n. 10 et seq. Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. IX, § III et IV.

ritur coram Episcopo et quatuor examinerib; etiamsi synodales non sint, et in reliquis eo plane modo, quo conferuntur ecclesiæ parochiales, nisi præbenda jurispatronatus laicalis fuerit (1).

IV. Theologus esse debet: 1º persona idonea, quæ per se ipsam id munus explicare potest, ita ut aliter provisio nulla sit et invalida ex Concilio Tridentino supra allato.

2º In Italia et insulis adjacentibus, sacræ theologiæ doctor, vel qui infra annum doctoralem lauream suscipiat, juxta Constitutionem Benedicti XIII *Pastoralis officii*; alibi autem doctor non requiritur, et idoneus sufficit, quia Concilium Tridentinum nullam doctoratus mentionem facit, et S. C. declarationes, quæ sunt, concernunt Italiam aliaque loca in Constitutione Benedicti XIII comprehensa (2).

3º Canonicus, saltem si præbenda canonicalis theologi assignetur. Cum autem ex Concilio Tridentino supra allato, alio modo ejus sustentationi provideri possit, non videtur, cur is qui canonicus non est, theologus esse non posset (3).

4º Clericus sacerdotalis juxta decretum S. R. Congregationis 15 Nov. 1603 in *Illerden*, in quo S. Congregatio censuit " præbendam et canoniciatum, conferendum esse in perpetuum, et in titulum clericu sacerdotali, qui prædicet, legat, et cum cæteris canonice munus præbendæ theologalis adimpleat, juxta formam Concilii Tridentini, quia nullo modo convenit, ut frater regularis cantet officium in choro cum canonice et presbyteris sacerdibus " (4).

V. Præbenda theologalis non est dignitas, sed officium (5). Unde canonicus theologus sedere debet in loco sui canoniciatus ordine receptionis, nec illi competit præcedentia super alios canonicos, non obstante consuetudine contraria (6). Si alicubi inter dignitates recenseatur, id vel fundationis lege, vel peculiari locorum consuetudine factum est (7).

(1) S. C. C. 1 Dec. 1866, in *Actis S. Sedis*. 1867, vol. 2, fol. 573. Vid. Bouix de capitulis loco cit. § V; Lucidi de Visit. SS. Limin. vol. 1, fol. 339, n. 178.

(2) Vid. Bened. XIV Instit. 57, et Bouix de capitulis loco cit. § V.

(3) Vid. Bouix de capitulis sect. 2, cap. IX, § 1; Craisson *Manuale Jur. Can.* n. 2199.

(4) Pallottini, *Canonicatus* § VIII, n. 194 etc.

(5) Pallottini ibidem n. 234.

(6) S. C. C. 11 Ap. 1617 in *Murana*, et 16 Ap. 1695 in *Senensi* apud Luc. Ferr. *Canonicatus* art. IX, n. 44; 19 Sept. 1761, § 3, Mediol. apud Zamboni tom. 4, *Canonicus*, § IX; Barbosa de Canonicis cap. 27, n. 25.

(7) J. Devoti Instit. *Canonic.* lib. I, tit. III, § 69, not. 2.

VI. Certum est ex Concilio Tridentino, theologum teneri ad docendum. Neque ab illa obligatione eximitur, etsi prædecessores non legerint, tenues sint redditus, aut particulare stipendium lectio-nibus assignatum non sit; quinino injunctum sibi munus detrac-tare nequit sub prætextu quod auditores non habeantur (1). Si prædecessores non legerint, haec consuetudo sanctionibus Triden-tinis adversatur; et licet nonnulli (2) censeant, consuetudinem ali-quiid valere etiam contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini; constitutio tamen Pii IV. In *Principis Apostolorum* juxta Bene-dictum XIV (3), abrogat omnia, quæ Tridentinæ Synodo con-traria esse videntur; ideoque singula ejusdem Concilii capita simul amplectitur, et nullius efficit momenti consuetudines, quæ leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent. Quapropter cum Sacrae Congregationi Concilii propositum fuerit: An et quomodo canonicus theologus ob defectum auditorum, tenui-tatem redditum et consuetudinem ab officio præbendæ theologiae adimplendo exemptus reputari valeat in casu? S. Congregatio Con-cilii die 18 Aprilis 1863, causa cognita, respondere censuit: *Nega-tive in omnibus et amplius* (4). Tenues redditus theologum excusare nequeunt, quia onus legendi, præbendæ theologiae annexum est, et proinde eo quod præbendam possideat, legere tenetur, sicut in choro tenetur horas canonicas dicere. Particulare etiam stipendium pro lectionibus assignatum esse non debet juxta responsum S. C. C. (5). Si auditores non habeantur, theologus lectionem suam pro scannis et sedibus habere non debet; ideo tamen, ut respondet S. C. Con-gregatio 18 Ap. 1863, ipse exemptus reputari non valet; tum quia, ut infra dicetur, plures ex clericis ad interveniendum lectioni theo-logali, cogi possunt; tum quia ipsius est curare, ut auditores habeat; si enim lectionem suam loco, tempore et modo conveniente instituat, auditores attrahet, et plures quam sufficientes habebit.

VII. Ut theologus officium suum libere exercere et adimplere valeat, 1º aliud munus, quod impedimento esse posset, ei committi

(1) S. C. C. 15 Oct. 1618, *Fundana* apud Luc. Ferr. *Canonicus* art. IX, n. 31; 11 Sept. 1621, *Agien*; 12 Nov. 1661, *Casulen*. apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § IX, n. 9 et 15.

(2) De Angelis, *Præelect. Jur. Can. lib. 1, tit. IV*, n. 12.

(3) *Instit. 60.*

(4) In *Actis S. Sedis* 1874, vol. VIII, fol. 343. 1881, vol. XIII, fol. 553. not.

(5) 23 Junii 1674, in *Anagnina* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 18.

nequit (1), uti capellania monialium cum cura animarum (2), dignitas administrationem annexam habens (3); item pro negotiis aut contro-versiis capituli delegari nequit, tempore quo legere tenetur (4). Eligi tamen potest ad officium secretarii capituli, archivarii et similium. Quia hujusmodi officium non requirit totum hominem, ut illum a munere theologi necessario divertat (5). 2º Diebus quibus lectionem habet, non tantum a choro, ut infra dicetur, sed etiam liber est ab aliis officiis, ut diaconatus et subdiaconatus (6).

VIII. Ad Episcopum pertinet, determinare lectionem theologia-lem, tempus et horam, materiam et modum (7). In his autem decernendis Episcopus arbitrio suo non tantum abuti nequit, sed cuncta servato jure præscribere tenetur, ut in sequentibus explicabitur.

Si Episcopus nihil determinet, nec præscribat, idcirco theologus a lectionibus habendis non eximitur, sicut parochus a prædicatione etiam non liberatur, etiamsi Episcopus circa hanc nihil præscrip-serit. In illo casu theologus vel Episcopi judicium exquireret, vel lectiones suas juri communis conformabat, donec Episcopus aliquid determinare voluerit.

IX. Quid theologus docere seu legere debet? Cum causa finalis Tridentinæ dispositionis ea fuerit, *ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*, theologi munus est, sacram Scripturam dumtaxat exponere et interpretari (8).

Quamvis a pluribus canonistis (9) admissum fuerit, canon-

(1) Pallottini, *Canonicatus*, § VIII, n. 218 et seqq. n. 343 et seqq. n. 425 et seq.

(2) S. C. C. 23 Maij 1648, *Pisana* apud Zamboni tom. 1, *Canonicus*, § IX, n. 14.

(3) S. C. C. 19 Sept. 1744, *Castrimaris* apud Zamboni ibid. n. 39.

(4) S. C. C. 12 Dec. 1676, *Anagnina* apud Zamboni ibid. n. 19.

(5) S. C. C. 24 Sept. 1792, *Convers.* apud Zamboni tom. 4, *Canonicus* § IX et 15 Ap. 1690, *Vicen.* apud eundem tom. 1, *Canonicus* § IX, n. 22.

(6) S. C. C. 15 Dec. 1725, *Urgellen*, apud Zamboni tom. 1. *Canonicus* § IX, n. 34 et 35.

(7) S. C. C. 4 Ap. 1596, in *Brixiensi* apud Luc. Ferr. *Canonicus* art. IX, n. 27, et 15 Mart. 1710, *Amerina* apud Zamboni tom. I, *Canonicus* § IX, n. 29; Conc. Rom. 1725, tit. 1, cap. IX; Pallottini, *Canonicatus*, § VIII, n. 350 et seqq.; Barbosa de canonicis cap. 27, n. 26.

(8) Giraldus, *Expositio juris Pontif.* p. 1, s. 786.

(9) Fagnanus in I p. lib. V Decretal. cap. *Quia nonnullis de Magistris*; Cardinalis Petra in Comment. ad Constit. 2 Innoc. VI, num. 46; Luc. Ferr. *Canonicus* art. IX, n. 30; Bened. XIV Instit. 57, et de Syn. Diœc. lib. 13, cap. IX, n. 17; S. C. C. 5 Ap. 1576 in *Hispania*; 5 Jul. 1784 in *Fulyinaten*, etc.

cum theologum suo muneri æque satisfacere, si sacram Scripturam legat, vel si dogmaticam aut scholasticam theologiam doceat, et quamvis in peculiaribus circumstantiis ex necessitate vel lege fundationis aliquando etiam permissum fuerit, ut theologia moralis traderetur; juxta plures tamen, post litteras Encyclicas Gregorii XVI, 1842, *Inter præcipuas machinationes* alia obtinuit sententia; Summus enim hic Pontifex, occasionem præbentibus neotericis bibliis, ibidem docet theologum sacræ Scripturæ explanationem tradere, videlicet § 3: « Hunc in finem biblici iidem » socii Ecclesiam sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non » cessant, quasi a pluribus jam sœculis fidelem populum a sacra- » rum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plu- » rima extent, eademque luculentissima documenta singularis » studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, » cæterique illorum ductu catholici Antistites usi sunt, ut catholi- » corum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensis erudi- » rentur. Quo in primis pertinent decreta Tridentinæ Synodi, » quibus nedum Episcopis mandatum est, ut Sacras Scripturas » divinamque legem frequentius per diœcesim annuntiandam cu- » rarent, sed ampliata insuper Lateranensis Concilii institutione, » provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegia- » tis urbium insigniorumque oppidorum non deesset theologalis » præbenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacræ » Scripturæ exponendæ et interpretandæ. De ipsa postmodum » theologali præbenda ad Tridentinæ illius sanctionis normam » constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum, » atque etiam ad populum publice habendis actum est in pluribus » synodis provincialibus, necnon in Romano Concilio anni 1725, » in quo Benedictus XIII fel. rec. prædecessor noster nedum » sacros Antistites Romanæ provinciæ, sed plures etiam ex Archie- » piscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis Sanctæ huic » Sedi nullo medio subditis convocaverat. Idem præterea Summus » Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in Apostolicis » literis, quas pro Italia nominatim insulisque adjacentibus dedit. » Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione sacrarum » rerum in cuiusque diœcesi ad Sedem Apostolicam statis tempo- » ribus referre consuevistis, ex responsis per nostram Congrega- » tionem Concilii ad decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum » iterumque datis, perspectum est, quemadmodum sancta eadem » Sedes et gratulari Episcopis soleat, si præbendatos theologos

» habeant in publicis sacrarum literarum lectionibus munere suo » bene fungentes, et nunquam intermittat excitare atque adjuvare » pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non » successerit. »

Quapropter quoties deinde S. C. Congregatio rogata fuit, an theologus munere fungeretur proprio, si sacram Scripturam ex- planaret, vel dogmaticam aut scholasticam aut moralem theolo- giam doceret, totes respondit, illum teneri ad explanandas Sacras Scripturas. Ideoque dicendum est, S. C. Congregationem ab alia doctrina recessisse, ut videre est in *Derthonen*. 27 jul. 1844, ubi proposito dubio III. An et quomodo sit annuendum postulatis super commutatione lectionis S. Scripturæ in casum conscientiæ explicationem in casu; respondit: *Non expedire; et Episcopus curet exequutionem nuperrimæ Encyclicæ SSmi D. N. In Casalen*. Præbendæ theologalis diei 26 junii 1847 proposito dubio: An et quomodo theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones Sacræ Scripturæ instar concionis habendas, habita præcipue ratione sensus mystici et moralis in casu; respondit: *Negative, et servetur lectio biblica ad tramites Concilii Tri- dentini sess. 5, cap. 1, et prout exponitur in Concilio Romano anni 1725, tit. 1, cap. 8*. Et tandem in una *Civitatis Castelli* diei 2 Sept. 1876, respondit, *Canonicum theologum teneri ad lectiones scripturales* (1).

Pallottini autem (2) dicit canonicum theologum æque suo muneri satisfacere, si S. Scripturam legat, vel theologiam scholasticam doceat, quia Gregorius XVI id non prohibet, sed verbis expressis confirmat. Nec aliter esse potest; nam, re intimius expensa, theo- logia scholastica aliud nihil est, quam interpretatio S. Scripturæ sub forma, quam scholæ sub duce S. Thoma merito adhibuerunt, ut adversarios christianæ religionis omnino profligarent. Unde ipsum nomen præbendæ theologalis et respectivi canonici theologi id adamussim confirmat. Idcirco ex ipso nomine præbendæ theo- logalis et canonici theologi absurdum erumperet, si theologus theo- logiam scholasticam tradere non posset. Theologus enim is dicitur, qui theologiam scholasticam tradit, cum theologia scholastica fun- damento S. Scripturæ nitatur, ac per ipsius interpretationem dog- mata ac veritates Christianæ religionis tueatur ac firmet.

(1) Vid. Acta S. Sedis vol. 8, fol. 336-344, vol. 9, fol. 505-518, vol. 10, fol. 509-513, et vol. 20, fol. 468.

(2) Collectio omn. concl. S. C. C. *Canonicatus* § VIII, n. 317.